



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum VII. Eum cui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## Eum cui.

## PARAPHRASIS.

Titio à Pontifice Canonicatus collatus est cum mandato, ut præbenda proximè vacatura eidem conferretur, postea similis gratia & provisiò in ordine ad eandem Ecclesiam à Sede Apostolica facta fuit Cajo. Iste posterior prævenit primum, & literas Capitulo priùs præsentavit, ideòque ante Titium in Canonicum receptus fuit. Quæritur, si postea præbenda vacaverit, utri eorum debeat, si ve uter horum alteri in assensione præbendæ præferri debeat. Respondet Papa, quòd is præferendus sit, cui priùs collatio facta, licet post alterum fuerit receptus, quia literas tardiùs præsentavit.

## SUMMARIUM.

1. Si duobus à Papa Canonicatus collatus sit, in assensione præbendæ is præferri debet, cui priùs collatio facta est, quamvis literas suas tardiùs præsentaverit.
2. Aliter loquendum juxta Capitulum tibi 12. de rescriptis in 6. si utriusque de providendo mandatum tantum à Pontifice datum sit.

**N**otandum. Inter duos, quibus à Papa Canonicatus collatus est, in assensione præbendæ is præferri debet, cui priùs collatio facta, tamen si literas tardiùs præsentaverit, ideòque post alterum receptus, & in possessionem missus fuerit. Ratio dari debet, quia per solam collationem, & acceptationem beneficii, sine ejus apprehensione, seu capta possessione acquiritur jus in eo, & quasi dominium, *c. si tibi absentis 17. hoc tit. in 6.* adeptus autem per collationem jure Canonici, seu Canonicatu, consequenter debetur etiam præbenda proximè vacatura, ita ut non minùs in ea jus reale, si vacaverit, habere censetur provifus, eamque tanquam connexam cum Canonici à quolibet detentore petere possit. Ita bene

annotavit Petrus Anchoran. *hic not. 3.* Rationem dans, quia in istis spiritualibus, postquam sunt debita, acquiritur dominium sine traditione.

Adverte autem, quòd versemur hinc in casu, cum Canonici collatio utrique à Pontifice facta fuit, hoc casu præferri debet is, cui litteræ collationis priùs expeditæ fuerunt: ita ut collatio alteri facta non valeat. Sin autem loquamur de mandatis, quibus Papa mandat, ut provideatur, tunc recurri debet ad Capitulum tibi 12. de rescriptis in 6. ubi dicitur, quòd is, qui priùs literas impetravit, in assensione præbendæ præferri debeat alteri, qui postea literas impetravit, sed in præsentando prævenit; præterquam, si eo tempore, quo litteræ à priore impetrante præsentatæ sunt, alteri collatio præbendæ jam facta sit, neque executor inhibuerit, quò minus fieret, neque Papa in prioribus literis decreverit, ut si quid contra fiat, irritum esset, & inane. Ita *Gl. ibi V. non existit. V. vide etiam infra cap. si Clericus XI. hoc tit. in 6.*

## CAPITVLVM VIII.

## Si pro Clericis.

## PARAPHRASIS.

Si Papa pro Clerico paupere aliòve scripserit, ut ipsi beneficium conferatur, etiam si curam habeat Animarum, potest ei conferri beneficium curatum, licet in Sacris Ordinibus non sit, neque de ea Ordinum carentia in literis mentio fiat, dummodo ad Ordines, quos beneficium requirit, se faciat in proximis à jure statutis temporibus promoveti.

## SUMMARIUM.

1. Beneficium curatum conferri potest illi spectato jure communi, qui Sacerdotium, eo quidem tempore, quo conferatur beneficium, non habet, modo intra annum suscipiat.
2. Ita ut secundum Jus commune locum etiam hac constitutio habeat, etiam si